

## **L. Annaeus Seneca**

### **Consolatio ad Marciam 24-26**

Imago dumtaxat fili tui perit et effigies non simillima,  
ipse quidem aeternus meliorisque nunc status est, de-  
spoliatus oneribus alienis et sibi relictus. Haec quae uides  
circumiecta nobis, ossa neruos et obductam cutem uultum-  
que et ministras manus et cetera quibus inuoluti sumus,  
uincula animorum tenebraeque sunt; obruitur his, offo-  
catur inficitur, arcetur a ueris et suis in falsa coiectus.  
Omne illi cum hac graui carne certamen est, ne abs-  
trahatur et sidat; nititur illo unde demissus est. Ibi illum  
aeterna requies manet ex confusis crassisque pura et liquida  
uisentem. Proinde non est quod ad sepulcrum fili tui  
curras: pessima eius et ipsi molestissima istic iacent, ossa  
cineresque, non magis illius partes quam uestes aliaque  
tegimenta corporum. Integer ille nihilque in terris re-  
linquens sui fugit et totus excessit; paulumque supra nos  
commoratus, dum expurgatur et inhaerentia uitia situmque  
omnem mortalis aeui excutit, deinde ad excelsa sublatus  
inter felices currit animas. Excepit illum coetus sacer,  
Scipiones Catonesque, interque contemptores uitiae et  
<mortis> beneficio liberos parens tuus, Marcia. Ille nepotem  
suum—quamquam illic omnibus omne cognatum est—  
adPLICAT sibi noua luce gaudentem et uicinorum siderum  
meatus docet, nec ex coniectura sed omnium ex uero  
peritus in arcana naturae libens ducit; utque ignotarum  
urbium monstrator hospiti gratus est, ita sciscitanti caele-  
stium causas domesticus interpres. Et in profunda terra-  
rum permittere aciem <iubet>; iuuat enim ex alto relicta

despicere. Sic itaque te, Marcia, gere, tamquam sub oculis patris filique posita, non illorum quos noueras, sed tanto excelsiorum et in summo locatorum. Erubescet quicquam humile aut uulgare <cogitare> et mutatos in melius tuos flere. Aeternarum rerum per libera et uasta spatia dimissi non illos interfusa maria discludunt nec altitudo montium aut inuiae ualles aut incertarum uada Syrtium: omnium plana et ex facili mobiles et expediti et in uicem peruii sunt intermixtique sideribus.

Puta itaque ex illa arce caelesti patrem tuum, Marcia,  
cui tantum apud te auctoritatis erat quantum tibi apud  
filium tuum, non illo ingenio quo ciuilia bella defleuit,  
quo proscriptentis in aeternum ipse proscrispsit, sed tanto  
elatiore quanto est ipse sublimior dicere: 'cur te, filia, tam  
longa tenet aegritudo? Cur in tanta ueri ignoratione uer-  
sar is ut inique actum cum filio tuo iudices quod integro  
domus statu integer ipse <se> ad maiores recepit suos? Ne-  
scis quantis fortuna procellis disturbet omnia, quam nullis  
benignam facilemque se praestiterit nisi qui minimum cum  
illa contraxerant? Regesne tibi nominem felicissimos futu-  
ros si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis?  
an Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit si  
aliquid aetati detraxeris? an nobilissimos uiros clarissimos-  
que ad ictum militaris gladi composita ceruice firmatos?  
Respice patrem atque auum tuum: ille in alieni percussoris  
uenit arbitrium; ego nihil in me cuiquam permisi et cibo  
prohibitum ostendi tam magno me quam uiuebam animo  
scripsisse. Cur in domo nostra diutissime lugetur qui  
felicissime moritur? Coimus omnes in unum uidemusque  
non alta nocte circumdati nil apud uos, ut putatis, opta-  
bile, nil excelsum, nil splendidum, sed humilia cuncta et  
grauia et anxia et quotam partem luminis nostri cernentia!

Quid dicam nulla hic arma mutuis furere concursibus nec  
classes classibus frangi nec parricidia aut fingi aut cogitari  
nec fora litibus strepere dies perpetuos, nihil in obscuro,  
detectas mentes et aperta praecordia et in publico medioque  
uitam et omnis aeui prospectum uenientiumque? Iuuabat  
unius me saeculi facta componere in parte ultima mundi  
et inter paucissimos gesta: tot saecula, tot aetatium con-  
textum, seriem, quidquid annorum est, licet uisere; licet  
surrectura, licet ruitura regna prospicere et magnarum  
urbium lapsus et maris nouos cursus. Nam si tibi potest  
solacio esse desideri tui commune fatum, nihil quo stat  
loco stabit, omnia sternet abducetque secum uetustas.  
Nec hominibus solum (quota enim ista fortuitae potentiae  
portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus  
ludet. Totos supprimet montes et alibi rupes in altum  
nouas exprimet; maria sorbebit, flumina auertet et com-  
mercio gentium rupto societatem generis humani coe-  
tumque dissoluet; alibi hiatibus uastis subducet urbes,  
tremoribus quatiet, et ex infimo pestilentiae halitus mittet  
et inundationibus quidquid habitatur obducet necabitque  
omne animal orbe submerso et ignibus uastis torrebit  
incendetque mortalia. Et cum tempus aduenerit quo se  
mundus renouaturus extinguat, uiribus ista se suis caedent  
et sidera sideribus incurret et omni flagrante materia uno  
igni quidquid nunc ex disposito lucet ardebit. Nos quoque  
felices animae et aeterna sortitae, cum deo uisum erit iterum  
ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parua ruinae ingen-  
tis accessio in antiqua elementa uertemur.'

Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam nouit!